

maiores Dei gloriam animarumque salutem procurandam strenue incumbeat. Atque imprimis nihil antiquius habere velis, quam divinitate fidei nostrae depositum integrum, inviolatumque custodire, et catholicæ Ecclesiæ causam, jura, doctrinam, libertatemque impavide tueri, et propugnare. Omnes adhibe vigilantiam, ut ecclesiastici viri propriæ vocationis, dignitatisque semper memoris virtutum omnium exempla christiano populo præbeant, proprii ministerii munia sancte, scienter, et accurate obeant, orationi instant, sacras potissimum disciplinas assidue excolant, et sempiternæ hominum saluti studiosissime inserviant. Te autem minime latet, Venerabilis Frater, quam vehementer Ecclesiæ intersit in hac præsertim tanta temporum asperitate idoneos habere ministros, qui valeant præliari prælia Domini. Cum autem hujusmodi ministri non nisi ex Clericis optime institutis fieri possint, tum omnes Tuas curas, cogitationesque in id semper intende, ut adolescentes Clerici vel ab ineunte ætate per probatissimos Magistros et ecclesiasticum spiritum, et litteras ac severiores disciplinas præcipue sacras ab omni prorsus cuiusque erroris, et profanæ novitatis periculo alienas diligenter addiscant. Ac pari sollicitudine, studioque continenter cura, ut utriusque sexus juventus tot periculis obnoxia et sanctissimis augustæ nostræ religionis documentis, ac præceptionibus sedulo imbuatur, et ad pietatem, honestatem, omnemque christianam virtutem formetur. Ne desinas unquam pro episcopali Tuo zelo omnem dare operam, ut fideles tibi traditi quotidie magis divini verbi præconio, Sacramentorum administratione, et multiformis gratiae Dei dispensatione accurate nutriantur, quo divertantur a malo, et faciant bonum, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, et crescant in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Jesu Christi, et instant viam, quæ dicit ad vitam. Probe autem noscis quibus nefariis omnibus generis insidiis, quibusque monstrosis opinionum portentis Dei, hominumque hostes omnium animos mentesque corrumpere, et a religione catholica avellere conantur. Quamobrem, Venerabilis Frater, ne cesses quâ voce, qua opportunis scriptis pravas adversarium fraudes detegere, ac perniciosissimos eorum errores refellere, et fideles Tuæ curæ commissos monere exhortari, ut in sanctissimæ nostræ religionis professione